

## PRAEFATIO

### De Nicolai Dresdensis sermone «Querite primum regnum Dei»

Post duos tractatus Nicolai de Dresda cura Johannis Sedlák («De purgatorio» I, «De quadruplici missione») et duos a Howardo Kaminsky («Tabule veteris et novi coloris», «Consuetudo et ritus primitive ecclesie et moderne») publici iuris factos afferimus in hoc libro sermonem «Querite primum regnum Dei» ut quintum Nicolai opus, more hodierno editum.

Una cum aliis huius scriptoris operibus sermo hic, quo Nicolaus in ecclesiam sui temporis corruptissimam inquirat, potissimum sequendus est nobis, ut Magistri Dresdensis sententias iudiciaque cum praeceptis haereticorum necnon virorum litteratorum, qui rebus in melius restituendis favebant, comparare et locum, quem auctor noster inter illa huius temporis plurima rationum disciplinarumque genera tenebat, cognoscere possimus. Nam Nicolaus et in hoc opere de principalibus eorundem temporum quaestionibus ad emendationem ac correctionem ecclesiae societatisque humanae spectantibus, i. e. de paupertate et possessione, de simonia, de potestate cleri, de oboedientia disserit et notionem suam ecclesiae ac legis Dei ante oculos ponit. In his mirum in modum animo obicitur illa inter Nicolai et Valdensium disciplinas, quamvis non perfecta, similitudo, et ea in Nicolai tum plurimis quae ad illas quaestiones spectant opinionibus, tum in consequentiis perceptionis legis Dei atque adinventionum humanarum, videlicet in ritibus missae, longis orationibus, orationibus pro mortuis, purgatorio, indulgentiis, annis iubilaeis, casibus episcopalibus, quolibet iuramento, occisionibus quibuslibet, cultu sanctorum imaginumque negandis, necnon in reverentia adversus Christi in monte sermonem atque sex eius mandata minima adhibenda. Haec similitudo, ut diximus, non est perfecta, nam Nicolai doctrina in nonnullis partibus suis propius ad similitudinem correctionis ecclesiasticae, ut eam apud Wyclif et Hus invenire possumus, accedit.

Itaque Nicolai operibus gravissimis editis et explicatis si personam atque ingenium auctoris mente cognoscamus ac percipiamus, faciliorem habebunt explicationem ea, quae ad doctrinarum Wyclifi, Valdensium tam in litterata quam in populari eorum familia aliarumque haeresium in Hussitismo-Thaboritismo coniunctionem a viris doctis saepe disputatam pertinent. Quam ad comprehendendam multum conferre nobis videtur, quod Nicolaus suis sententiis utilitatem capiebat omnibus ex tribus doctrinis nominatis et quod eum ad Hussitarum consilia cogitationesque ulterius provehendas non parum valuisse compertum habemus.

## De codicibus manu scriptis. De ratione edendi

Nicolai Dresdensis sermonis »Querite primum regnum Dei« textum in tribus codicibus scriptum invenimus:

*U* — Bibliotheca Universitatis Pragensis IV G 15, f. 100r<sup>a</sup>—141r<sup>b</sup>

*M* — Bibliotheca Universitatis Brunensis Mk 102, f. 110r—144r

*C* — Bibliotheca Capituli Pragensis C. LXXIII., f. 96r—122r (hic prima tantum textus pars continetur)

Etsi variae lectiones codicum inter se comparatae non multum discrepant, patet tamen stemma codicum constitui non posse, quia nullus horum textuum ex aliis duobus descriptus est, ita ut non sit dubium quin non omnes codices manu scripti huius sermonis ad nos pervenerint.

Si codex *U* duobus annis ante quam codex *M* scriptus esset et si codex *C* hodierno tempore, ut diximus, primam tantum textus partem contineret, codicem *U*, praesertim quod ad orthographiam atque foliorum ordinem attinet, in hac editione secuti sumus, nonnullas tamen lectiones codicum *M* et *C*, brevi temporis intervallo ab *U* distantium, respicientes.

In notis criticis conabamur omnes lectiones codicum discrepantes notare, nonnullis tamen perspicuis atque mediocribus scribarum mendis et rebus graphicis exceptis. Post textum explicavimus et plurimos, quantum in nobis situm erat, Bibliae, iuris canonici et civilis, auctorum locos a Nicolao allegatos necnon gravissimos locos parallelos e ceteris Nicolai atque aliorum ecclesiae emendatorum operibus.

Adnotationes marginales non crebro in *M* vel *C* tantum occurrentes indice marginalium (vide p. 108) continentur.

Omnes quaestiones, de quibus in hac praefatione quam brevissime locuti sumus, in praefatione bohémica (»*Předmluva*«) uberius et ex omnibus partibus tractantur.